

R. 2º. Nego illationem. Nam 1º qui ope attritionis et sacramenti justificatur, gratiam sanctificantem obtinet, sive ex attrito fit contritus ut fert axioma, id est, in charitate perfecta habituali constituitur: dici autem non potest eum qui perfectam habet charitatem habitualis, magnum charitatis praeceptum non implere. Charitas habitualis in adulto sensibus praedito non est iners; ad eliciendum actum ex natura sua tendit: ipsa gratiae sanctificantis per absolutionem recuperatae acceptatio, est actus charitatis. Ergo, etc.

CAPUT QUARTUM.

DE CONFESSIONE.

Confessio sacramentalis, de qua sola hic agitur, definiiri potest: *Accusatio propriorum peccatorum post Baptisma commissorum, facta sacerdoti competenti, in ordine ad veniam virtute clavium obtainendam*. Nobis dicendum est 1º de ejus necessitate, et 2º de ejusdem conditionibus.

ARTICULUS PRIMUS.

DE NECESSITATE CONFESSIONIS.

Qui sacramentum Pœnitentiae negant, eo ipso confessionem sacramentalem tollunt. Plures autem sacramentum Pœnitentiae retinentes, circa confessionem errarunt, videlicet:

1º *Joannes Wiclefus* necessitatem ejus negavit, his verbis: « Si homo debite fuerit contritus, omnis confessio exterior est sibi superflua et inutilis: » septimus est articulus ejus in conc. Const. damnatus.

2º *Petrus Osmensis*, doctor Salmanticensis, contendebat non dari praeceptum confitendi peccata occulta; a Sixto IV damnatus fuit, anno 1478.

3º *Lutherus* prius agnoverat, lib. de Captivitate Babylonica, cap. de Pœnitentia, confessionem occultam esse utilem, imo et necessariam; deinde eam, prout est in

usu apud catholicos, vocat *cruentissimam carnificinam*.

4º *Calvinus*, l. 2 Inst., cap. 4, sect. 7 et 8, fatetur quidem usum confessionis antiquissimum esse et abundantem fructum ex ea percipi; sed contendit eam esse liberam, arbitrio uniuscujusque permissam, et ante concil. Lateran. IV, anno 1215 celebratum, nulla lege fuisse prescriptam, eam postea vocat *tyrannidem, rem pestilentem*, multisque nominibus Ecclesiæ noxiā. Calvinistæ illam tormentum *Innocentianum* appellare consueverunt.

His prænotatis, ostendemus in duplice propositione confessionem esse necessariam iis qui post Baptisma mortaliter peccaverunt, 1º jure divino, et 2º jure ecclesiastico.

PROPOSITIO PRIMA.

Confessio sacramentalis necessaria est jure divino iis qui post Baptisma mortaliter peccaverunt.

Prob. Illa propositio ut certissima tenenda est quæ est de fide, probatur Scriptura sacra, SS. Patribus, argumento præscriptionis et ratione: atqui talis est propositio nostra.

1º *Est de fide*. His quippe verbis fuit definita in Council. Trid., sess. 14, can. 6: « Si quis negaverit confessio- » nem sacramentalem vel institutam, vel ad salutem » necessariam esse jure divino; aut dixerit modum se- » crete confitendi soli sacerdoti, quem Ecclesia catholica » ab initio semper observavit et observat, alienum esse » ab institutione et mandato Christi, et inventum esse » humanum; anathema sit. » Eadem veritas definita est aliis verbis, canonibus 7 et 8. Ergo 1º.

2º *Prob. Scriptura*. S. Matth. XVI, 18: *Tu es Petrus*, etc. *Tibi dabo claves regni cœlorum*, etc.; et XVIII, 18: *Amen dico vobis, quæcumque alligaveritis super terram, erunt ligata et in cœlo, et quæcumque solveritis, etc.*; apud Joan. XX, 23: *Quorū remiseritis peccata*, etc. Unde sic argumentari licet: Confessio sacramentalis necessaria est jure divino iis qui post Baptismum mortaliter peccaverunt, si Christus instituerit suos Apostolos eorumque successores judices, sine quorum sententia peccata

mortalia non remittuntur, et si hæc sententia sine confessione obtineri nequeat : atqui hæc duo certa sunt.

1º Christus, prædictis verbis apud S. Joannem relatis, promissionem suam implens, instituit suos Apostolos proindeque eorum successores judices, sine quorum, etc. 1º Sunt judices, cum alia peccata dimittere, alia retinere debeant. 2º Peccata mortalia sine eorum sententia remitti non possunt, nam Christus dedit eis claves regni cœlorum ; frustra autem claves ipsis dedisset si alias patet aditus : potestatem retainendi peccata habent, sed vana ac illusoria foret hæc potestas si alia via peccatores justificari possent ; vel enim nullus tribunal Pœnitentiae adiret, vel unusquisque, absolutione sibi denegata, alio medio veniam obtainendi uteretur, sicque confessarios impune suggillaret. Porro hæc admitti nequeunt. Ergo 1º.

2º Sententia Apostolorum eorumque successorum sine confessione obtinéri non potest. Necesse est enim ut peccata a peccatis secernantur, siquidem, ex verbis Christi, non debent promiscue remitti, nec promiscue retineri ; necesse est igitur ut cognoscantur : cognosci autem non possunt, nisi aperiantur : porro ea aperire, est ea confiteri secundum morem in Ecclesia consuetum : ergo, etc. ; aliunde, etc. Ergo 2º.

3º *Prob. ex SS. Patribus. Tertull.*, de Pœnit. cap. 10: « Grande plane emolumentum verecundiæ occultatio delicti pollicetur ; videlicet, si quid humanæ notitiæ subduxerimus, proinde Deum celabimus. An melius est damnatum latere quam palam absolvit ? » Vel hæc verba intelligenda sunt de confessione auriculari, et evidenter pro nobis militant ; vel de confessione publica, ut quidam volunt, et nihilominus thesim nostram probant ; nam, ut *infra ostendemus*, confessio publica supponit præceptum divinum confessionis.

Origenes, Homilia 2 in Ps. xxxvii : « Sicut ii qui habent intus inclusam escam indigestam, aut humoris vel phlegmatis stomacho graviter et moleste immanentis abundantiam, si vomuerint, relevantur : ita etiam hi qui peccaverunt, siquidem occultant et retinent intra

» se peccatum, intrinsecus urgentur et propemodum suffocantur phlegmate vel humore peccati : si autem ipse sui accusator fiat, dum accusat semetipsum et confiteratur, simul evomit et delictum, atque omnem morbi digerit causam. Tantummodo circumspice diligentius cui debeas confiteri peccatum tuum ; proba prius medicu[m] cui debeas causam languoris exponere, ut ita demum, si quid ille dixerit..., si quid consilii dederit, facias... si providerit talem esse languorem tuum qui in conventu totius Ecclesiae exponi debeat, et curari, ex quo fortassis et cæteri aedificari poterunt, et tu ipse facile sanari ; multa hoc deliberatione et satis perito medici illius consilio procurandum est. » In eo textu fit quidem mentio confessionis publicæ quæ sine periti medici consilio et magna deliberatione fieri non debebat ; sed confessio secreta prius facienda erat prudenti confessario qui judicabat an utile foret delicta in conventu Ecclesiae publicare. Ergo, etc.

S. Basilius, in regulis brevioribus : « Peccata iis confiteri necesse est quibus mysteriorum Dei concredita dispensatio est. »

S. Chrysost., Homil. de muliere Samaritana, postquam demonstravit occultum fuisse peccatum quod confessa est, addit : « Imitemur et nos mulierem Samaritanam, et ob propria peccata non erubescamus... Qui enim homini detegere peccata erubescit... neque confiteri vult et pœnitentiam agere ; in die illa non coram uno vel duobus, sed universo terrarum orbe spectante traducetur. »

S. Ambros., l. 2, de Pœnit., cap. 6 : « Si vis justificari, fatere delictum tuum ; solvit enim criminum nexus veracula confessio peccatorum. » Ipse sanctus Doctor confessiones secretas audiebat, narrante in Vita ejus Paulino. Quotiescumque aliquis, ad percipiendam pœnitentiam, lapsus suos apud illum confitebatur, ita flebat, ut illum flere compelleret... Causas autem criminum quas illi confitebantur, nulli, nisi Domino soli apud quem intercedebat, loquebatur. » Patet ex illo facto

confessionem secretam fuisse in usu et necessariam ad percipiendam pœnitentiam.

S. Leo, Epist. 436: « Sufficit reatus conscientiarum » sacerdotibus indicari confessione secreta. » Damnat abusum peccata publice recitandi, quod nonnulli arbitrabantur necessarium.

Innumera alia afferri possent testimonia: in his autem quæ retulimus agitur evidenter de confessione exteriori, explicita et jure divino necessaria, non vero de interna soli Deo facta; de generali et vaga, aut de confessione auctoritate humana præscripta, ut volunt hæretici.

1º De exteriori; siquidem facienda est sacerdoti, peccatum ex anima evomitur, secreta aperienda sunt, etc.
2º De explicita; alioquin non daretur erubescendi locus, nec diceretur peccata sola cogitatione admissa esse declaranda; homines decipi posse, non Deum qui intuetur cor.
3º De confessione jure divino necessaria; etenim SS. Patres, non decreto Ecclesiæ aut alio instituto humano, sed verbis Evangelii hanc obligationem fundatam esse dicunt vel supponunt: ergo, etc. Ergo 3º.

4º Probatur argumento præscriptionis. Usus et præceptum confessionis existit tum apud Latinos, tum apud Græcos, tum apud alios Orientales. Quoad Latinos, nulla est difficultas; factum patet. Quoad Græcos, idem constat 1º ex eorum euchologiis; 2º ex censura qua Jeremias, patriarcha Constantinopolitanus, doctrinam Lutheranorum perstrinxit, et ex Synodo Bethleem, habita anno 1672, in qua error iste proscriptus est; 3º ex concil. Florent., anno 1438 celebrato, in quo, post maturum examen pronuntiata est unio utriusque Ecclesiæ. Quoad alios Orientales, videlicet Armenios, Nestorianos, Eutychianos, Melchitas, Jacobitas, Coptas, Maronitas, quorum alii sunt catholici, alii hæretici, eadem veritas ex liturgiis eorum constat, ut videre est in opere dicto *Perpétuité de la foi*, etc. Porro talis consensio omnium ecclesiarum Orientalium catholicarum, schismaticarum et hæreticarum cum Ecclesia Latina, demonstrat confessionem semper fuisse in usu et ab ipsis Apostolis transmissam; vel

enim ab Apostolis fuit transmissa, vel decursu temporis instituta: at posterius dici non potest; si enim decursu temporis fuisse instituta, aliquod vestigium hujus institutionis inveniretur, præsertim cum talis innovatio facile admitti non debuisset: atqui tamen nullum hujusmodi vestigium inveniri potuit. Præterea, si institutio ista commenta fuisse in Ecclesia Romana, ut affirmare non erubescunt Protestantes, quomodo Græci et tot ecclesiæ Orientales, a seipsis divisæ, eam simul ita adoptassent ut sibi persuaderent institutam esse a Christo et necessariam jure divino? Id manifeste repugnat. Ergo.

P. Morin (p. 140 et seq.) ex multis Rabbinorum textibus, probat eam apud Judæos fuisse usitatam, quandoque generalem et quandoque particularem; testimonia quæ affert digna sunt ut videantur.

5º *Prob. ratione.* 1º Fatentur adversarii confessionem publicam saltem peccatorum publice commissorum, olim fuisse præscriptam: atqui talis praxis supponit omnes persuasum habuisse confessionem sacramentalem a Christo institutam fuisse; supposita quippe institutione divina, facile concipitur fideles jugo tam gravi se subiecisse: at si credidissent præceptum istud in jure divino nullum habere fundamentum, numquid omnes ita paruissent? Hoc incredibile est attenta humanæ naturæ repugnantia ad confessionem probrosam.

2º Certum est dari medium obtainendi remissionem peccatorum post Baptismum commissorum: at confessio ipsismet Protestantibus videri debet via tutior hanc remissionem obtainendi, et sedandis anxietatibus conscientiarum multo expeditior. Protestans enim, principiis suis stando, quomodo sciet se sufficienter esse dispositum, se esse justificatum? Quam inveniet consolationem in tribulationibus cordis? Catholicus, e contra, cor suum pandens confessario, illum habebit amicum, patrem, consolatorem, ducem et adjutorem; consilia ejus secundo, securus manebit.

3º Quidam peccata confitendi usus, ad eorum condonationem obtainendam, semper et ubique extitit.

« Que deux ennemis désirent sincèrement se réconcilier,

» lier, ait *Moelher* (*Symbolique*, liv. 1, § 33), ils se sentent entraînés à confesser leurs torts, et ce n'est non plus que par cet aveu que leur réconciliation devient véritable, que la paix rentre dans le cœur... Celui qui déteste, abhorre le péché, le confesse avec douleur et tout ensemble avec joie : avec douleur, parce que le péché est le mal propre du pécheur ; avec joie, parce qu'en le confessant, le pécheur s'en sépare et s'en éloigne. » Ergo saltem conveniens et rationabilis est confessio, etc. ; aliunde, etc. Ergo.

Solvuntur objectiones.

Obj. 1º. Confessio non præcipitur in Scriptura : ergo non necessaria est jure divino.

R. 1º. Dist. ant. Non præcipitur expresse, *conc.* ; implice et æquivalenter, *nego ant.* Probavimus enim obligationem Confessionis optime deduci ex verbis Christi : *Quorum remiseritis*, etc. Ergo.

R. 2º. Nego conseq. Nam præter Scripturam, traditio altera est regula fidei, et multa sunt revelata a Christo instituta quæ in Scripturis non leguntur. Ergo.

Obj. 2º. Nullibi legitur Apostolos confessiones exceptisse, vel ipsos ad confessionem recurrisse : ergo incredibile est præceptum confessionis tempore Apostolorum exstitisse.

R. 1º. Multi theologi et *Fleury* probant usum confessionis tempore Apostolorum exstitisse per hæc Actuum Apostolorum verba, xix, 18 : *Multi credentium veniebant, confitentes et annuntiantes actus suos.* Ibi agitur de peccatis *credentium*, ac proinde post Baptismum commissis. Alii tamen dicunt verbum *credentium* intelligi posse de nondum baptizatis qui peccata sua aliquo sensu confitebantur ut ad suscipiendum Baptismum se præpararent. *Hac igitur responsione prætermissa.*

R. 2º. Nego conseq. 1º quia in primis prædicare, docere, baptizare, manus imponere aliaque officia munera apostolici implere debebant Apostoli, raro autem confessiones fidelium excipere, præsertim cum in his felicissimis

temporibus fere nullus gratiam Baptismatis amitteret ; 2º quia multa fecerunt Apostoli quæ non fuerunt scripta : præcepto Domini obtemperantes, *docebant servare quemque ipsis mandaverat*, et parum solliciti erant an accusi scriberentur. Liber Actuum Apostolorum præcipua tantum gesta Petri et Pauli continent, et de aliis fere nihil refert ; insulse ergo concluderetur ex silentio ejus Apostolos confessiones non exceptisse, vel ipsos confessione non usos esse, quanquam forte illa non indiguerint ; nam, juxta probabilem sententiam, erant confirmati in gratia.

Obj. 3º. Christus dedit Apostolis eorumque successori bus potestatem remittendi peccata venialia : atqui tamen nulla est obligatio ea declarandi : ergo *a pari*, etc.

R. Nego conseq. et paritatem. Ratio disparitatis est, quod peccata venialia cœlum proprie non claudant : igitur, qui tantum venialia habent, ministerio clavium non indigent ut aliquando cœlum ingrediantur. Contra vero cœlum obseratur iis qui peccato mortali commaculantur ; ergo recurrere debent ad janitores, ut ipsis eis aperiatur. Ergo.

Inst. Apostoli eorumque successores acceperunt a Christo potestatem remittendi vel retinendi peccata in Baptismo, sacramentum illud concedendo vel negando : attamen confessio non est necessaria ad Baptismum : ergo *a pari*, etc.

R. Nego conseq. et paritatem. Disparitas in eo sita est, quod sacramentum Pœnitentiae, ex institutione sua, per modum judicii exerceri debeat ; supponit ergo jurisdictionem in subditos judicandos : porro Ecclesia non habet jurisdictionem in eos qui non sunt baptizati : ergo Baptismus administrari non potest per modum judicii. Unde laici jurisdictionis ecclesiastice incapaces ipsæque mulieres valide baptizant. Ergo, licet confessio ad Baptismum non requiratur, non sequitur illam, etc.

Obj. 4º. Nectarius, patriarcha Constantinopolit. versus finem quarti sæculi, abrogavit confessionem : ergo non arbitrabatur illam esse jure divino necessariam.

R. Dist. ant. Abrogavit confessionem publicam, *conc.* ; secretam, *nego ant.* Ad intelligentiam istius facti quod

Protestantes singulariter ventitant, sciendum est episcopos tempore Novatianorum sacerdotem pœnitentiarium praefecisse, ut qui lapsi essent, coram illo delicta confitentur. Quædam mulier ad pœnitentiarium presbyterum accedens, delicta post Baptismum commissa a se perpetrata confessa est. « Presbyter vero præcepit illi ut jejunii et orationibus continua vacaret, quo scilicet una cum delictorum confessione opus etiam pœnitentiæ conveniens ostenderet. Progressu temporis mulier aliud facinus confessa est, ecclesiæ videlicet diaconum cum ipsa stupri consuetudinem habuisse. » Sunt verba *Socratis*, Hist. lib. 5, cap. 19. Magnum inde exorium est scandalum in Ecclesia, et populus viros ecclesiasticos hanc ob causam dieteris appetere cœpit. Tunc quidam presbyter nomine Eudemus suasit Nectario ut presbyterum pœnitentiarium expungeret, et unumquemque, pro arbitrio et animi sui conscientia, ad sacramentorum communionem sineret accedere. *Sozomenus* factum istud eodem modo refert, lib. 7, cap. 16. Illo igitur admisso ut vero, non sequitur *Nectarium* confessionem secretam abrogasse. Nam 1º abrogavit quod tempore Novatianorum institutum fuerat; at confessio secreta tempore Novatianorum non fuerat instituta, siquidem antea in usu erat, ut patet testimonio *Origenis* et *S. Cyp.* 2º Abrogavit quod fuerat occasio scandali: atqui sola confessio publica mulieris causa fuerat scandali. 3º Confessio secreta semper fuit in usu post *Nectarium*, ut constat testimonio *S. Chrysost.* ejus successoris, a nobis superius allato, et constanti praxi Græcorum. Ergo.

Cæterum, ex ipsomet facto mulieris et pœnitentiarii, constat confessionem auricularē tunc in usu fuisse; siquidem dicta mulier prius secrete confessa est *delicta a se perpetrata*.

Dicitur autem *Nectarium* permisisse unumquemque, pro arbitrio et animi sui conscientia, ad sacramentorum communionem accedere; non quod aestimaret confessionem ad remissionem peccatorum necessariam non esse jure divino, sed quia licentiam unicuique dabat illa uti vel non uti, prout agnosceret se esse sontem vel insontem.

Inst. S. Chrysost. pluribus in locis, et præsertim *Homilia 3 de Pœnit. n. 4*, ubi hoc habet: *Deo soli dic peccatum tuum, et dimittetur tibi*, a confessione retrahere videtur: ergo confessio etiam secreta a Nectario fuerat abrogata.

R. Dist. ant. A confessione publica retrahere videtur, conc.; a confessione secreta, *nego ant.* Etenim *S. Chrysost.* vestigiis antecessoris sui inhærendo, confessionem publicam reprobare debuit: atqui revera solam confessionem publicam reprobavit; ab illa enim sola in textu allato in aliisque similibus retrahebat, non vero a confessione secreta quæ semper in usu fuit Constantinopoli sicut alibi, et cuius necessitatem ipse agnoscit, v. g., in loco a nobis superius citato et in aliis quæ citari possent. Si ergo dicat soli Deo peccata esse declaranda, vel 1º ibi loquitur de virtute pœnitentiæ, ut quibusdam placet, et tunc confessionem sacramentalem non excludit; vel 2º quia sacerdos locum Dei tenet, et, ratione secreti, peccata ei dicere in confessione, perinde est ac si Deo soli dicerentur, præsertim cum in liturgia Græca, referente *P. Goar*, in suo Euchologio Græcorum, presbyter apud Græcos pœnitentem ad se accendentem sic alloquatur: « Frater, utquid ad Deum et ad me accessisti? Ne verearis; non enim mihi, sed Deo coram quo stas, peccata tua enuntias. »

Eodem sensu explicari debent alii textus SS. Patrum qui a Protestantibus nobis objiciuntur, id est, de confessione publica, non vero de secreta: sic: 1º *S. Greg. Nyssenus* dicit *peccata avaritiae* a Patribus fuisse prætermissa, quia in canonibus publicis pœnitentiariis non fuerant submissa. 2º Venerabilis *Beda* a jugo confessionis eximit eos qui a religione per idolatriam, hæresim vel schisma non defecerant, id est, a jugo confessionis publicæ: nam ipse necessitatem confessionis secretæ in *Commentario in cap. 5 Epist. S. Jacobi* agnoscit, his verbis: *Neque enim sine confessione peccata queunt dimitti*.

Obj. 5º. *Gratianus*, Decret. causa 33, quæst. 3, dist. 1, cap. 89, expendit an sola contritione cordis et secreta satisfactione, absque oris confessione, quisquam possit Deo

satisfacere. Postea duplice refert opinionem tunc extantem, unam affirmantem et alteram negantem: ergo tunc non credebatur confessionem esse necessariam.

R. Nego conseq. Nam *Gratianus* non movet quæstionem de necessitate confessionis ex institutione Christi ad salutem, sed de efficacia contritionis: si contritio perfecta ad sacramentum semper prærequiratur, confessio oris non erit necessaria in re ad justificationem, sed tantum in voto; secus, necessaria esset in re. Porro nos ipsi diximus duplice esse theologorum sententiam circa hanc quæstionem. Quod talis sit *Gratiani* sensus, patet tum ex titulo ejus dist., tum ex ipsis verbis, cap. 37: *Non ergo in confessione remittitur quod jam remissum esse probatur*; tum ex eo quod utriusque partis defensores appellat *sapientes et religiosos*, dum qui necessitatem confessionis eo tempore negarunt, ab aliis scriptoribus vocati sunt *audaces, præsumptuosi, perversi, hæretici, sectarii*. Ergo.

Objicitur Seneca glossator *Gratiani*, qui dubitare videtur an confessio non fuerit instituta quadam universalis Ecclesiæ traditione; sed omnes fatentur illum nullam mereri fidem.

S. Thomas, S. Bonaventura et S. Antoninus Gratianum in loco citato de necessitate confessionis interpretantur, et illum excusant, quia nondum definitum erat confessio nesse necessariam jure divino. Verum inde sequeretur ad summum *Gratianum* clare non fuisse locutum, aut præfatos autores illum attente non legisse. Quidquid sit, quamvis dogma confessionis hoc tempore nondum fuerit aliquo canone expresse definitum, certum est illud ubique fuisse receptum.

Obj. 6º. Concilium Lateranense primo condidit præceptum de confessione facienda: ergo dogma confessionis non erat ubique receptum tanquam jure divino fundatum.

R. 1º. Nego ant. Pluribus enim factis demonstratur confessionem sacramentalem non solum fuisse in usu, sed et præceptam longe ante concilium Lateranense. 1º Jam memoravimus exemplum *S. Amb.* confessiones secretas excipientis. 2º *S. Eligius*, in sexto sœculo, confessionem

generalem omnium peccatorum vitæ suæ fecit apud sacerdotem; *Fleury*, l. 37, n. 38. 3º *S. Fructuosus*, abbas Complutensis, anno 670 defunctus, in regula sua confessionem generalem præscribit novitiis qui ante ingressum in monasterium gravia commiserant peccata; *ibid.*, l. 39, n. 23. 4º *S. Chrodegang*, episcopus Metensis; monasterium clericorum regularium instituit versus annum 763, et inter regulas quas eis præscripsit, jussit ut singuli bis in anno peccata sua confiterentur episcopo, initio Quadragesimæ, et a medio mensis augusti ad primam diem novemboris. In aliis temporibus, sive episcopo, sive sacerdoti, pro utilitate sua, confessionem suam facere poterant: ipsis expresse et sub gravibus pœnis vetatur ne aliquod taceant peccatum; *ibid.*, l. 43, n. 39. 5º *Theodulphus*, episcopus Aurelianensis, in suo Capitulario anni 785, dicit omnia peccata etiam cogitationum esse confitenda sacerdoti, et jubet sub pena excommunicationis ut qui perjurium, falsum testimonium, adulterium, fornicationem, homicidium aliaque gravia peccata admiserunt, ea confiteantur et canonicam expleant pœnitentiam; *ibid.*, l. 44, n. 23. 6º In concilio Cabillonensi anni 813, redarguntur qui integre non confitentur, et declaratur eos monendos esse de obligatione confitendi peccata interna sicut et externa; *Labbe*, t. vii. Multa alia hujus generis facta reperiuntur, tum in Historia Ecclesiastica, tum in auctoribus qui de necessitate confessionis fusius tractant, et præsertim apud *Scheffmacher*, *lettre IV*.

R. 2º. Nego conseq. Ecclesia enim potest instituere leges ad urgendam præceptorum divinorum observationem, vel ad determinandum tempus quo impleri debeant; ea intentione tulit præceptum de communione Paschali, licet rata fuisset dari præceptum divinum ad sacram synaxim accedendi. Ergo similiter persuasum habens confessionem esse jure divino necessariam, potuit nihilominus eam præcipere, v. g., determinando tempus ultra quod obligatio illius non protraheretur. Porro talem fuisse mentem concilii Lateranensis confessionem annuam præcipientis asserit Concil. Trid.,

sess. 14, cap. 5 : « Neque per Lateranense concilium
» Ecclesia statuit ut Christi fideles confiterentur, quod
» jure divino necessarium et institutum esse intellexe-
» rat; sed ut præceptum confessionis, saltem semel in
» anno, ab omnibus et singulis, cum ad annos discre-
» tionis pervenissent, impleretur. » Ergo.

Sequitur ex dictis reum peccati mortalis, post Baptis-
mum commissi, justificari non posse sine confessione in
re saltem cum attritione, vel in voto cum contritione per-
fecta: qui autem necessitatem confessionis invincibili-
ter ignoraret et de peccatis suis propter amorem Dei con-
tereretur, nihilominus justificationem obtineret; Deum
enim perfecte amare non potest quin paratus sit omnia
ipsius mandata observare: porro in tali dispositione
cordis votum confessionis existit: ergo.

Ex eo quod peccata venialia clavibus subjici et vi ver-
borum Christi per absolutionem remitti possint, non
sequitur ea necessario confitenda esse, quia cœlum non
claudunt.

Quæritur 1º quo tempore præceptum divinum con-
fessionis obliget.

R. 1º. Reus peccati mortalis tenetur habere propositum confitendi, quando tenetur habere contritionem, quia propositum confitendi est annexum contritioni: tenetur autem habere contritionem, saltem sub veniali, ut supra diximus, statim atque peccata memorie occurrunt.

R. 2º. Ad confessionem tenetur per se in articulo et etiam in periculo mortis; de natura enim est præcepti positivi ut obliget saltem in casu necessitatis: hinc miles ante prælium, navigatores ante periculosam navigationem in qua deerit copia confessarii, mulier gravida ante primum partum, nisi rationabiliter præsumere possit se partum periculosum non experturam, aut quæ jam partus difficiles experta est, et generaliter quicumque verisimiliter putant se amplius non habituros opportunitatem confitendi, tenentur confiteri si sint in peccato mortali.

R. 3º eum ad confessionem teneri per accidens, quando ad aliquid tenetur quod non potest sine peccato facere nisi confessus; v. g., Eucharistiam percipere, aut conficere, etc.

Extra hos castis autem quanto tempore reus peccati mortalis confessionem differre possit, non constat. 1º Probabilius videtur peccare venialiter, eam notabiliter tempore differendo, nisi perfecte conteratur, quia sollicitudo propriæ salutis et zelus gloriae Dei expostulant ut in statu peccati mortalis diu non maneat. 2º Probabilius mortaliter contra jus divinum peccaret, si per annum integrum non confiteretur; nam Ecclesia confessionem saltem annuanu præcipiendo, tempus quo præceptum divinum obligaret determinare voluit. *Ita communius theologi* apud S. Ligorium, l. 6, n. 633. 3º Nihil inventimus ex quo judicari possit eos qui semel in anno tantum confitentur, licet mortalia habeant, mortaliter contra præceptum divinum peccare: igitur, ut ait Billuart, hoc relinquendum est iudicio prudentum.

Quæritur 2º utrum confessio ex institutione divina debeat esse publica vel secreta.

R. 1º modum confitendi a Christo non fuisse determinatum. Unde per confessionem secretam præcepto divino satisfit, ut expresse definit Concil. Trid., sess. 14, can. 6: « Si quis dixerit modum secrete confitendi soli sacerdoti, quem Ecclesia Catholica ab initio semper obser- vavit et observat, alienum esse ab institutione et man- dato Christi, et inventum esse humanum; anathema sit. »

R. 2º. Nunquam exstitit obligatio generalis peccata occulta publice confitendi. Patet 1º ex Concil. Trid., sess. 14, cap. 5: « Non satis consulte humana lege præcipiatur ut delicta præsertim secreta, publica essent confessione aperienda. » Ecclesia autem nihil inconsulte facit. 2º Ex pluribus testimoniosis SS. Patrum supra relatis.

R. 3º. Certum est peccata publica, quædam etiam occulta, pœnitentiæ publicæ canonibus statutæ olim sub-